

J Medina E

0/1

De oecumenicitate schematum a commissione theologica propositorum.

Loquor nomine secretariatus ad christianorum unitatem fovendam.

In examine schematis de fontibus revelationis multi patres ostenderunt sollicitudinem vere oecumenicam. Omnes quotquot sunt sincere et positive cupiunt ut schemata nostra faveant unitati. Attamen dum alii affirmant schema exigentis sani oecumenismi respondere, alii illud negant. Ut in hac re melius judicare valeatis forsitan vobis gratum erit a secretariatu nostro audire in quo praecise consistat oecumenicitas alicujus expositionis. Etenim secretariatus noster a Summo Pontifice institutus est ut patribus sua servitia praestet in examinandis schematibus sub respectu oecumenicitatis.

Problema est hoc :

Quid requiritur in doctrina et in stylo alicujus schematis ut revera inservire possit ad meliorem dialogum inter catholicos et non-catholicos obtinendum ?

Respondeo,

Omnes qui christiano nomine honorantur in hoc consentiunt quod Jesum Christum admittunt. Ea quae ab ipso Domino communicantur, constituunt depositum fidei et sunt salutis nostra. Ad hunc unicum fontem accedimus omnes, catholici et non-catholici.

Sed quando agitur de modo quo ad Jesum Christum accedimus, tunc incipit discordia. Sumus fratres ab invicem separati. Jam per plurima saecula ab invicem sumus sejuncti.

Scimus hanc discordiam nostram esse contra voluntatem Christi. Quando tandem aliquando cessabit nostra divisio ? Per plurima saecula nos catholici aestimavimus sufficere expositionem claram doctrinae nostrae. Non-catholici idem putaverunt. Utraque pars suam doctrinam exposuit in terminologia sua, in optica sua, sed ea quae a catholicis dicebantur male intelligebantur a non-catholicis, et vice versa. Cum hac methodo "clarae veritatis" de facto nullus progressus in reconciliatione factus est. E contra, ex utraque parte creverunt praejudicia, suspensiones, rixae, polemicae contentiones.

His ultimis decenniis introducta est nova methodus. Haec methodus vocatur dialogus oecumenicus. In quo consistit ?

Characteristicum hujus methodi est quod non tantummodo habetur cura de veritate, sed etiam de modo quo doctrina exponenda sit ut ab aliis recte intelligi queat. Christiani diversarum denominationum se invicem adjuvant ut alii et alii clarius et exactius intelligere possint doctrinam cui non adhaerent.

Dialogus oecumenicus non est igitur deliberatio aut tractatio de unione facienda, non est concilium unionis, non est tentamen conversionis. Est ex utraque parte serena, objectiva, lucida, psychologicè adaptata testificatio de propria fide.

Haec methodus nova nunc in nostro concilio, volente Summo Pontifice, adhiberi potest. Expositiones nostrae conciliares habe-

bunt spiritum oecumenicum, et dialogo oecumenico magnopere favere poterunt, si media vere apta adhibemus ut non-catholici clarius intelligere possint quomodo Ecclesia catholica videat et vivat mysterium Christi.

Sed redigere schemata in stylo oecumenico non est res facilis.
Cur non ?

Excludenda est omnis species indifferentismi. Expositio oecumenica debet fideliter completam et integram doctrinam catholicam de determinata materia illustrare. Etenam quomodo possent non-catholici a nobis audire quid doceat catholicismus, si doctrinam exponeremus truncatam, tortam, confusam ?

Dictum est in hac aula quod modus oecumenicus loquendi opponitur integrali expositioni veritatis. Qui ita sentit, videtur non intellexisse quaenam sit natura dialogi oecumenici.

Talis dialogus non instituitur ut alii ab aliis decipiantur.

Si volumus quod expositio nostra a non-catholicis exacte intelligi possit, multae conditiones adimplendae sunt: (Quatuor ex his tantum ab oratore in aula conciliari indicatae fuerunt ; in hoc textu e contra, ut expositio completa sit, omnes enumerantur)

1° Perspectum habere quid sit hodierna doctrina orthodoxorum et protestantium, a.v. bene cognoscere eorum fidem, vitam liturgicam, theologiam.

2° Scire quaenam opiniones ipsi habeant de nostra doctrina et in quibusnam punctis eam recte et non-recte intelligant.

3° Scire debemus quid secundum non-catholicos sit omissum vel non satis dilucidatum in doctrina catholica (v.g. doctrina de Verbo Dei, de sacerdotio fidelium, de libertate religiosa).

4° Examinandum est utrum dentur in nostro modo loquendi formae vel formulationes quae a non-catholicis difficile intelliguntur. Hic dicendum est quod modus scholasticus seu methodus quasi scholaris constituit pro non-catholicis magnam difficultatem et saepe fit origo errorum et praejudiciorum. Idem dicendum de abstracto et pure notionali modo loquendi, qui ab orientalibus non intelligitur. E contra modus biblicus et patristicus loquendi ex seipso multas vitat et praevenit difficultates, confusiones et praejudicia.

5° Termini adhibiti bene sunt eligendi (verba, imagines, qualificationes), ratione habita de reactione quam producunt in mentem vel sensibilitatem non-catholicorum.

6° Judicia sunt ponderanda, videnda in contextu in quo a non-catholico accipientur.

7° Argumenta (citationes, rationes), argumentatio et ordinatio textus ita sunt praesentanda ut non-catholicis persuasionem afferre possint.

8° omnis sterilis polemica vitanda est.

9° errores clare sunt repellendi, sed hoc modo ut non offendantur personae quae erronea admittunt.

Ex his omnibus patet, Patres venerabiles, quod textus non est oecumenicus ex solo facto quod veritatem exponit. Difficilimum et delicatissimum est efficere ut redactio seu expositio sit revera oecumenica.

Summus Pontifex motu proprio in secretariatum ad unionem christianorum fovendam adunavit peritos, episcopos et theologos, qui magnam habent experientiam in oecumenismo. His peritis Papa munus commisit adjuvandi alias commissiones praeparatorias, et praesertim commissionem theologicaam ut redactio schematum sit revera oecumenica. Noster Secretariatus suum adiutorium obtulit commissioni theologicae sed commissio, propter rationes de quibus mihi non est iudicandum, noluit. Proposuimus constitutionem subcommissionis mixtae, sed commissio theologica respondit : non, hoc non volumus.

Ita factum est quod commissio theologica sola perfecit opus difficillimum dandi characterem oecumenicum nostris schematibus. Cum quo successu ?

Audivimus multos patres iudicantes de oecumenicitate schematis propositi. Alii dixerunt deesse spiritum oecumenicum : ita locuti sunt patres qui vivunt in medio protestantium vel in oriente. Aliter locuti sunt patres quorum plerique vivunt in regione catholica. His videtur in schemate non deesse spiritum oecumenicum. Sit nobis venia, sed humiliter oramus hos patres ut velint examinare utrum sufficienter consideraverint veram naturam novae methodi quae vocatur dialogus oecumenicus ejusque conditiones ac sequelas.

CONCLUSIO

Quidquid sit, nos qui a Summo Pontifice munus accepimus adlaborandi ut dialogus cum fratribus non-catholicis in hoc concilio feliciter procedat, rogamus vos omnes, venerabiles patres, ut velitis audire quid de proposito schemate iudicet secretariatus ad christianorum unitatem fovendam. Sententia nostra est quod schema notabiliter deficit in oecumenicitate. Schema pro dialogo cum non-catholicis non constituit progressum, sed regressum, non adiumentum sed impedimentum, immo nocumentum.

Patres veneratissimi, considerare faveatis nunc tandem aliquando introductam esse novam methodum cujus gratia foecundus dialogus institui posset. Fructus hujus methodi jam videri potest in hac aula, in praesentia observatorum. Hora est providentialis. Sed hora est gravis. Si haec schemata commissionis theologicae non alio modo scribuntur, nos responsables erimus de facto quod Concilium Vaticanum II magnam, immensam spem annihilaverit. Spem dico eorum omnium qui, praeeunte Papa Johanne XXIII, in oratione et jejuniis expectant quod nunc tandem aliquando gressus serius et notabilis fiat ad fraternam unionem eorum omnium pro quibus Christus Dominus noster oravit : "ut omnes unum sint".

Romae 19 novembris 1962

Aemilius Josephus De Smedt
Episcopus Brugensis